

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7751

**Auteur(s) :** Étienne de Marnes [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1258, 1 mars-1258, 30 mars]

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Étienne de Marnes et Alice, sa femme, vendent à l'abbaye de la Trappe sept arpents de prés que ladite Alice avait reçus en dot de Guérin de Brézoles, son père. (Voyez la charte LX).

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, B. « De Eodem (= de redditibus denariorum in Corboneto et Francia) », n° LIX (« Carta Stephani de Marnis »), p. 100-102.

## Dissertation critique

En nouveau style.

Pâques tombe le 8 avril en 1257 ; le 31 mars en 1258.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Stephanus de Marnis et Aalicia, uxor ejus, salutem in Domino. Noveritis quod, cum Garinus de Bruerol, defunctus, acquisisset a Guillelmo Corbin quedam prata, cujus acquisitionis carte tenor talis est: « Noverint universi presentes et futuri quod ego, Guillelmus Corbin, de assensu et voluntate Johanne, uxoris mee, et heredum meorum, vendidi et concessi Garino de Bruerol, Johanne ejus uxori et eorum heredibus, pro triginta libris turonensium quas integre habui in pecunia numerata, tria arpenta pratorum in uno anno, et quatuor arpenta pratorum in alio anno, que tria arpenta sita sunt inter molendinum Beront et La Cochardere, et junguntur ex una parte pratis a la Hoirele et ex altera parte junguntur dimidio arpento prati quod est Roberti dicti Fabri ; et predicta quatuor arpenta sita sunt inter dictum molendinum et La Cochardere, et ex una parte junguntur pratis Richardi de Maris et ex altera parte pratis heredum defuncti Philippi Quarrel, militis ; inter Becium et Mortuam Aquam sita sunt predicta tria arpenta et quatuor. Que tria arpenta et quatuor communia erant michi et Roberto dicto Fabro, qui dictorum trium et quatuor arpentorum medietatem possidet nomine canonicorum ecclesie Omnium Sanctorum de Mauritania. Dicta vero tria et quatuor arpenta ego et dictus Robertus dictus Faber tali modo partiri consuevimus, quod alter nostrum habebat in uno anno tria arpenta et in alio quatuor, ita quod, quando ego habebam dicta tria arpenta, dictus Robertus dicta quatuor arpenta habebat, et e converso. Dicta tria et quatuor arpenta tenenda et habenda dictis Garino, Johanne uxori ejus et eorum heredibus et jure hereditario in perpetuum possidenda libere et quiete de omnibus servitiis, talliis, auxiliis, relevatione, omni exactione et rebus aliis ad me et ad heredes meos et quoscumque alios pertinentibus quoquomodo, reddendo exinde tantummodo michi et meis heredibus tres

denarios monete corbonensis ad Pascham Domini annuatim. Et ego et heredes mei dictos tres denarios a dicto G[arino] J[ohanna] uxore ejus et eorum heredibus requirere tenebimur annuatim. Et ego et Johanna, uxor mea, et heredes nostri dicta forma dictis G[arino], J[ohanne] uxori ejus et eorum heredibus garantizare tenemur et defendere contra omnes. Et proinde converti et retinui sub residuo totius hereditatis mee de residuo dictis pratis servicia quibuscumque debita facienda. Ad hec autem fideliter firmiterque servanda et garantizanda, ut dictum est, ego Guillelmus et dicta uxor mea nos astringimus prestitis corporaliter juramentis. Ut hoc autem firmitatis robur obtineat in futurum et ne contra hoc de cetero veniamus, ego Guillelmus Corbin et Johanna, uxor mea, dictis Gar[ino] et J[ohanne] uxori ejus litteras istas concessimus et fecimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas, per quas ad hec tenenda heredes nostros successive volumus obligari. Actum anno Domini M° CC° L° quarto, mense martio. » Et cum predictus Garinus de Brueroles nobis Stephano et Aalicie, filie predicti Garini, dedisset predicta prata in maritagium habenda et tenenda eodem modo quo ea acquisierat, nos, prenominati Stephanus et Aalicia uxor ejus, de communi assensu et voluntate, predicta pratorum arpentia vendidimus viris religiosis, abbati et conventui Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, pro viginti libris turonensium quas habuimus integre et percepimus ab eisdem in pecunia numerata, habenda et tenenda in perpetuum sibi et successoribus suis, ab omnibus rebus supradictis, in litteris prenominati Guillelmi Corbin contentis, et etiam ab omnibus ad nos et heredes nostros pertinentibus quocumque modo libere penitus et quiete. Et ut hoc maneat firmum et stabile in perpetuum, nos predicti Stephanus et Aalicia dedimus antedictis religiosis presentes litteras, sigillorum nostrorum munimine roboratas, per quas obligavimus nos et heredes nostros predictis religiosis et omnia que tenemus de ipsis ac omnia alia bona nostra mobilia et immobilia ad garantizanda, defendenda contra omnes et ab omnibus liberanda predicta arpentia pratorum sub forma prescripta, reddendo predictos tres denarios predicto Guillelmo et suis heredibus a dictis religiosis in festo et modo et forma contentis in litteris predicti Guillelmi Corbin superius annotatis. Actum anno Domini M° CC° L° septimo, mense martio.